



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Manuale Exercitiorvm Spiritvalivm

Capilla, Andrés de

Coloniae, 1607

Quando domu[m] reuertimur. Exer. 26

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53232)

luntatem nostram, ad sequendum illum in crucis baiulatione, quemadmodum ipse à nobis exigit.

Quando domum reuertimur.

Exercitium 26.

Psalm. 121. Latatus sum in his quae dicta sunt mihi, n domum Domini ibimus.

Psalm 30. Esto mihi in Deum protectorem, & in domum refugij, vt saluum me facias.

Psalm. 6. Vnampetij à Domino hanc requiram vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.

Consideratio.

Considerabimus. Christum postquam obedientiam à Patre sibi iniunctam perfecisset, ad ipsum cum magna præda reuersum & à Patre ingenti cum honore ac gloria susceptum, atque ad dexteram confedere iussum fuisse.

Gratiarum actio.

Gratias agemus Deo, quod nos domum sanos & incolumes reuerti permiserit: quodque cum ipse veluti peregrin-

peregrinus nostri amore in terris vixerit, nec vbi caput suum reclinaret habuerit, nobis tamen domum ad habitandum & quiescendum largitus sit.

Confusio.

ERubescemus, considerando, quod tam multis annis domum Patris nostri cœlestis, instar filij prodigi deseruerimus: porcosque sensualium & irrationalium appetituum pauperimus: ac fame propemodum enecti fuerimus: cum tamen domus Patris nostri tam benè prouisa, & omnibus rebus abundans sit.

Petitio.

ROgabimus Deum, vt nos ad æternam illam habitationem, quam electis suis præparauit in cœlis, perducatur: Et quamdiu in præsentis vitæ viuimus, in domo Ecclesiæ suæ conseruet, gratiamque nobis largiatur, in ea tali cum vitæ integritate & firmitate commorandi & conseruandi: qualem, talis Domini domum decet.

Oblatio.

Offeremus Deo, ad ipsius laudem & obsequium, omnia quæ intra domum facturi sumus, & veniam precabimur ab eo, si forsitan eum extra domum constituti offendimus.

Quando sedemus.

Exercit. 27.

Cant. 2. Sub umbra illius, quem desideraueram sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.

Apoc. 3. Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo sicut & ego vici, & sedeo cum Patre meo in throno eius.

Esai. 32. Et sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & tabernaculis fiducia, & in requie opulenta.

Consideratio.

Contemplabimur Christum Redemptorem nostrum sedentem ad dexteram Patris, constitutumque iudicem viuorum & mortuorum: Ad hæc considerabimus Christum, vt ad gloriam & requiem qua gaudet, perueniret, per multos labores & sudores prius transiisse.

GRA